

## DOMINICA XXI POST PENTECOSTEN

### Themata sermonis

Evangelium in vigesimaprima dominica post Pentecosten: *Erat quidam regulus*, quod dividitur in duabus clausulis.

In primis thema sermonis de carnalium desideriorum mortificatione et peccatorum confessione, quae sapphiro, propter ipsius quattuor proprietates, comparatur, ibi: *Super firmamentum*.

[DE PRIMA CLAUSULA]. Item thema de novem ordinibus angelorum et eorum significationibus, ibi: *Erat quidam regulus*.

Item ad religiosos, ibi: *Vidi angelum descendentem*.

Item de triplici caritate, ibi: *Extendit Cherub manum*.

Item de quattuor abominationibus, primo contra praelatos et sacerdotes, ibi: *Fili hominis, leva oculos tuos*.

Item contra praelatos et religiosos, qui patrimonium Crucifixi dant parentibus, ibi: *Fili hominis, fode parietem*.

Item contra mundi prosperitatem, ibi: *Adhuc conversus*.

Item contra illos, qui propter temporalia Domini oliviscuntur, ibi: *Et ecce in ostio templi*.

Item sermo in Nativitate Domini, ibi: *Qui sedebat in porta super thronum dixit ad*.

[DE SECUNDA CLAUSULA]. Thema sermonis de fide et contemplatione, ibi: *Haec erat visio discurrentis*.

Item de descensu humilitatis, ibi: *Iam eo descendente*.

Item de obedientia, ibi: *De medio quasi species electri*; et ibi: *Pennae columbae deargentatae*.

Item de vita animae et odore pomorum, quo tantum vivunt homines ibi: *Nuntiaverunt ei quod filius eius viveret*.

Item de febri luxuria, ibi: *Hora septima*.

### Exordium. De carnalium desideriorum mortificatione et peccatorum confessione

1 - In illo tempore: *Erat quidam regulus, cuius filius infirmabatur Capharnaum*<sup>1</sup>.

Dixit Ezechiel: *Super firmamentum, quod erat imminens capiti animalium, quasi aspectus lapidis sapphiri similitudo throni; et super similitudinem throni similitudo quasi aspectus hominis desuper*<sup>2</sup>. Nota quod in hac auctoritate quattuor ponuntur: primo animalia, secundo firmamentum, tertio thronus sapphirinus, quarto hominis aspectus. Animalia sunt carnalia desideria, quae, tamquam bruta animalia, polluant terram mentis nostrae, et ideo dicit Dominus in Ezechiele: *Proiecta es super faciem terrae in abiectione animae tuae. Vidi te conculcari in sanguine tuo*<sup>3</sup>, idest immunditia carnalis desiderii. Caput animalium est principium carnalium desideriorum, de quo dicitur in Genesi: *Ipsa conteret caput tuum*<sup>4</sup>. Quod tunc fit, cum firmamentum imminet capiti animalium. Firmamentum est cordis contritio, unde dicitur in Genesi: *Fiat firmamentum in medio aquarum, dividens aquas ab aquis*<sup>5</sup>. Mens poenitentis, pro peccatis contriti, habet ‘aquas superiores, idest fluenta gratiae, et inferiores, idest fluenta concupiscentiae’<sup>6</sup>, quae sub ipso debent esse, quia semper tendunt ad occasum. Vel, ‘aqueae superiores significant rationem, quae est vis animae superior, quae semper hominem ad bonum provocat; aquae inferiores, sensualitatem’<sup>7</sup>. Simile quid habes in Ezechiele: *Vidi, inquit, quasi speciem electri, a lumbis eius et desuper; et a lumbis eius usque deorsum, quasi speciem ignis*<sup>8</sup>. Ibi dicit GLOSSA: “Quae supra lumbos sunt, ubi sensus et ratio versatur, non indigent cremari igne vel

---

<sup>1</sup> Io 4,46

<sup>2</sup> Ez 1,26 (Vg. ... *capiti eorum...*).

<sup>3</sup> Ez 16,5-6 Vg. add).

<sup>4</sup> Gen 3,15

<sup>5</sup> Gen 1,6 (Vg. ... *et dividat aquas...*).

<sup>6</sup> Cf. GLO. ORD., Gen 1,7.

<sup>7</sup> De partibus animae, ratione videlicet et sensualitate, cf. P. LOMB., *Sent. II*, 24,6, PL 192,702-703; [Ad Claras Aquas, I, p. 453-454](#).

<sup>8</sup> Ez 1,27 (Vg. add).

flammis, sed indigent pretiosissimo metallo et purissimo; quae a lumbis deorsum, ubi coitus et generatio, ubi incentiva sunt vitiorum, indigent purgatione flammorum”<sup>9</sup>.

Capiti ergo animalium superemineat firmamentum, idest, cordis contritio conterat principium carnalium desideriorum, et tunc super firmamentum erit, quasi aspectus lapidis sapphiri, similitudo throni. In throno designatur peccatorum confessio, et bene. ‘Sicut enim in throno sedens se humiliat, sic poenitens in confessione debet se humiliare’<sup>10</sup>, se iudicans, se condemnans, et omne malum quod fecit dissipans. Unde in Proverbiis: *Rex qui sedet in solio dissipat omne malum intuitu suo*<sup>11</sup>.

Et nota quod, confessio debet esse quasi aspectus lapidis sapphiri, qui quattuor habet proprietates: sereno caelo est similis, stellam in se ostendit, sanguinem restringit, anthracem perimit. Sic peccatorum confessio debet esse caelo similis per spem veniae, ut dicat cum latrone: *Memento mei, Domine, dum veneris in regnum tuum*<sup>12</sup>. Stellam etiam in se debet ostendere. “Stella, a stando dicta”<sup>13</sup>, firmum propositum non relabendi significat. Sicut enim “stellae immobiles sunt, et cum caelo fixae perpetuo motu feruntur”<sup>14</sup>, sic poenitens immobilis et fixus debet esse in poenitentia, et ubicumque vadit et quocumque movetur firmum debet habere propositum non relabendi in peccatum. Hanc stellam si confessio non ostenderit, poenitentia omnino non debet iniungi. *Vade*, inquit Dominus, *et amplius noli peccare*<sup>15</sup>. Non dixit: *Non pecces*, sed: *Noli*. Item, debet sanguinem restringere. “Sanguis dictus, quod suavis sit”<sup>16a</sup>, et significat peccati delectationem, quam confessio debet restringere, ne fluat a corde et a sensibus corporis. Si haec tria confessio habuerit, quartum faciet, quia anthracem, idest diaboli suggestionem, perimet. In tali throno sapphirino requiescit Deus et homo similis electro, Iesus Christus, animam confitentis ab omni peccati infirmitate liberans, sicut liberavit ab infirmitate corporali filium reguli, de quo dicitur in lectione hodierni evangelii: *Erat quidam regulus cuius filius infirmabatur Capharnaum*.

2 - Nota quod in hoc evangelio duo notantur: filii reguli infirmitas et ipsius reguli credulitas. Primum ibi: *Erat quidam regulus*. Secundum ibi: *Creditum homo sermoni* etc.

In introitu hodiernae missae cantatur: *Si iniquitatem observaveris, Domine*. Et legitur epistola beati Pauli apostoli ad Ephesios: *Confortamini in Domino*, quam in duabus particulis volumus dividere et cum supradictis evangelii clausulis concordare. Prima particula: *Confortamini*. Secunda: *State succincti lumbos vestros* etc. Et attende, quod in hodierno evangelio dicit Ioannes de infirmitate et sanitate filii reguli, et Apostolus in epistola dicit de tentatione diaboli, quae animam infirmat, et armatura Dei, quae ipsum diabolum fortiter impugnat. Et ideo haec epistola legitur cum isto evangelio.

## I - De filii reguli infirmitate

3 - Dicamus ergo: *Erat quidam regulus, cuius filius infirmabatur Capharnaum*. Quid ista quattuor, regulus, ipsius filius et eius infirmitas et Capharnaum significant, videamus et de quolibet pertractemus. A rege regum totius creaturae, Domino Iesu Christo, qui angelis in caelo et hominibus

<sup>9</sup> GLO. ORD., ibidem. Cf. HIER., *Commentaria in Ezechielem*, PL 25,30: «Quae supra lumbos sunt, ubi sensus versatur et ratio, non indigere igne nec flammis, sed pretiosissimo metallo, et purissimo. Ea vero quae a lumbis deorsum, ubi coitus, ubi generatio, ubi incentiva vitiorum, purgatione indigere flammorum, ut cum purgata fuerint, habeant sicut arcus similitudinem, quae vulgo Iris dicitur»

<sup>10</sup> Cf. GREG., *Moralium* XXX,25,72, PL 76,564: «Sedere autem st humilitatem poenitentiae appetere».

<sup>11</sup> Prov 20,8 (Vg. ... in solio iudicii...).

<sup>12</sup> Lc 23,42 (Vg. mut).

<sup>13</sup> ISID., *Etym.* III,71,3, PL 82,178.

<sup>14</sup> ISID., *Etym.* III,62,1, PL 82,177.

<sup>15</sup> Io 8,11 (Vg. *Vade, et iam amplius...*).

<sup>16a</sup> ISID., *Etym.* IV,5,6, PL 82,185. Il testo di Isidoro aggiunge: «et vivat» e riguarda solo la prima parte della definizione. La seconda, «vel quod suavis sit», è di Papias. Antonio ha dunque preso l'intera definizione da Papias. Cf. GIOVANNI GASPAROTTO, *Dipendenze Isidoriane bei "Sermones"*, in «Atti 1981», p. 236. Secondo i classici latini, e lo stesso Papias, il sangue che scorre nelle vene è “*dulcis humidus et calidus*”. Il sangue sparso, corrotto, simbolo di crudeltà, prende il nome di *cruor*, dal greco *κρέας*, “carne”. Cf. PAPIAS VOCABULISTA, p. 303a. Vedi luoghi paralleli: II,5,20; 264,22.

<sup>16b</sup> Cf. GREG., *Homilia* 34, 2, in *Evangelia*, PL 76,1249-1250.

praeest in hoc mundo, quilibet fidelis nominatur regulus, pro eo quod, quasi quandam repraesentationem caelestium ordinum in se habeat, et ex quattuor elementis, ex quibus est omnis creatura, consistat. Novem sunt ordines, quos tamen in tribus ordinibus ternario numero volumus ordinare <sup>16/b</sup>

In primo ordine sunt Angeli, Archangeli, et Virtutes. In Angelis praeceptorum obedientia, in Archangelis consiliorum custodia, in Virtutibus sanctae vitae designantur miracula. Es ergo de ordine angelico, cum obedis praecepto dominico. Unde Malachias propheta: *Labia sacerdotis custodiunt scientiam etc.*<sup>17</sup> De hoc quaere in evangelio: *Caecus sedebat secus viam*<sup>18</sup>. Item, ad Archangelorum pertines ordinem, cum non tantum praecepta, sed etiam Iesu Christi consilia satagis adimplere. Unde Isaias tibi consulit: *Ini consilium, coge concilium*<sup>19</sup>. Item, ad Virtutum pertines chorum, cum sanctae vitae miraculis resplendes. Unde dicit in Ioanne: *Qui credit in me, opera quae ego facio, et ipse faciet; et maiora horum faciet*<sup>20</sup>. Ibi dicit GLOSSA: “Quod Dominus facit in nobis non sine nobis, maius est omnibus quae sine nobis facit, ut quod ex impio fit iustus maius est omnibus caelo et terra et ceteris, quia illa transibunt hoc manebit, et in illis tantum est opus Dei, in istis etiam imago Dei. Sed et si angelos fecit, maius videtur impios iustificare quam iustos creare, quia et si utrumque est aequalis potentiae, hoc est maioris misericordiae”<sup>21</sup>.

4 - In secundo ordine sunt Principatus, Potestates, Dominationes. Nota quod, tria sunt in nobis, quibus, etsi non tamquam reges, saltem sicut reguli dominari debemus, scilicet cogitationes, oculi et lingua. Principatus coercent malignos spiritus, et nos debemus coercere malignas, idest male ignitas, cogitationes. Unde Ioannes in Apocalypsi: *Vidi, inquit, angelum descendentem de caelo, habentem clavem abyssi et catenam magnam in manu sua; et apprehendit draconem, serpentem antiquum, qui est diabolus et Satanás, et ligavit eum per annos mille*<sup>22</sup>.

MORALITER. Angelus est vir iustus, qui tunc de caelo descendit, cum vitae sua statum in terra vivens secundum caeli puritatem informare satagit. Hic habet clavem et catenam. Clavis est discretio, qua vir iustus claudit et aperit abyssum cogitationum. Claudit cum restringit, aperit cum discernit. Catenam in manu est poenitentia in opere. Unde “catena dicta, quod capiendo teneat; vel quod se capiendo pluribus nodis teneat”<sup>23</sup>. Dum enim contritio confessioni, confessio satisfactioni, satisfactio dilectioni proximi concatenatur, fit magna catena, qua vir iustus ligat draconem, serpentem antiquum, qui est diabolus et Satanás. In draconem spiritus superbiae, in serpente cogitatio venenosae luxuria, in diabolo, qui hebraice dicitur ‘deorsum ruens’<sup>24</sup>, avaritia, in Satana, ‘qui contrarius dicitur’<sup>25/a</sup> malitia discordiae designatur<sup>25/b</sup>. Haec omnia vir iustus catena ligat per annos mille, cum draconem superbiae coeret cordis contritione; serpentem luxuria, confessione; diabolum avaritiae, satisfactione et eleemosynarum largitione; Satanam discordiae, proximi dilectione. Et hoc per mille annos, qui perfectus est numerus, idest finali perseverantia.

Item, super oculos, qui sunt quasi quidam ‘latrunculi, qui furantur pueram, ut dicitur in quarto libro Regum, de terra Israel’<sup>26</sup>, idest pudicitiam de mente viri iusti, debemus habere potestatem, dicentes cum Iob: *Pepigi foedus cum oculis meis, ne cogitarem quidem de virgine*<sup>27</sup>. Et in Genesi dicit Dominus ad Cain: *Si bene egeris, recipies; sin autem male, in foribus statim peccatum aderit; sed sub te erit appetitus eius, et tu dominaberis illius*<sup>28</sup>. Peccatum in foribus est concupiscentia carnis in

<sup>17</sup> Mal 2,7 (Vg. ... *custodient...*; in GLO. ... *custodiunt...*).

<sup>18</sup> *Dominica in Quinquagesima.*

<sup>19</sup> Is 16,3

<sup>20</sup> Io 14,12

<sup>21</sup> GLO. ORD., ibidem.

<sup>22</sup> Apoc 20,1-2

<sup>23</sup> ISID., *Etym.* V,27,9, PL 82,212.

<sup>24</sup> Cf. GLO. INT., Apoc 20,2: «*Diabolus, “Dehorsum ruens”*».

<sup>25/a</sup> Cf. GLO. INT., ibidem: «*Satana, “Adversarius”*».

<sup>25/b</sup> *Diabolus è un nome che viene dal greco; il nome di origine ebraica è śātān, aram. sātānā.*

<sup>26</sup> Cf. 4Reg 5,2

<sup>27</sup> Iob 31,1 (Vg. ... *ut ne cogitarem...*).

<sup>28</sup> Gen 4,7 (Vg. ... *statim in foribus...*).

oculis, super quos si potestatem exercemus, carnis appetitus sub nobis erit, quia iugo rationis reprimetur.

Item, linguae, quae est quasi meretrix *garrula et vaga*, ut dicitur in Proverbiis, *quietis impatiens, nec valens in domo consistere, nunc foris, nunc in plateis, nunc iuxta angulos insidians*<sup>29</sup>, debemus dominari, ne, ut dicit Iacobus, ‘maculet totum corpus et inflammet rotam nativitatis nostrae, et incendat magnam silvam’<sup>30</sup>. Si sic in hoc triplici ordine, scilicet Principatum, Potestatum et Dominationum fuerimus, vere reguli erimus.

5 - In tertio ordine sunt Throni, Cherubim et Seraphim. Throni sumus, cum nos in nobis humiliamus et nosmetipsos iudicamus. Unde in Psalmo: *Deus, iudicium tuum regi da*<sup>31</sup>. Regi, idest viro iusto, Deus dat suum iudicium, ut ipse se iudicet, ne Deus inveniat in eo quod condemnet. *Si nos, inquit Apostolus, iudicaremus, non utique iudicaremur*<sup>32</sup>. Deus, da mihi iudicium tuum, ut de tuo faciam meum, et, faciendo meum, evadam tuum. *Horrendum est enim incidere in manus Dei viventis*<sup>33</sup>.

Item, “Cherubim interpretatur plenitudo scientiae, haec est caritas”<sup>34</sup>, quam qui habet plenus est et scit quomodo oporteat eum ambulare. Cherubim ergo sumus, quando bona cum caritate facimus. Unde dicitur in Ezechiele: *Extendit cherub manum suam de medio cherubim, ad ignem qui erat inter cherubim, et sumpsit, et dedit in manus eius qui indutus erat lineis*<sup>35</sup>. Nota quod, in hac auctoritate semel ponitur *cherub*, et bis *cherubim*, quia triplex est caritas: tui, Dei et proximi. Tu ergo, qui es cherub quoad te, extende manum sanctae operationis de medio cherubim, idest Dei caritate, ad ignem sanctae vitae, qui est inter cherubim, idest sanctos et caritativos viros, et de illo igne, idest vitae sanctae exemplo, da viro qui est indutus lineis, idest cuilibet christiano, fide dominicae Incarnationis induito. *Quotquot in Christo*, inquit Apostolus, *baptizati estis, Christum induistis*<sup>36</sup>. Nisi tu prius fueris cherub in te, manum non poteris extendere de medio cherubim ad ignem, qui est inter cherubim; et ideo a caritate tua prius incipe, et postmodum alii caritativus poteris esse.

Item, “Seraphim interpretatur ardens”<sup>37</sup>. Seraphim sumus, cum igne compunctionis succensi ‘pro irriguo inferiori et superiori in lacrimis efflumus’<sup>38</sup>. *Ignem*, inquit, *veni mittere in terram; et quid volo nisi ut ardeat*<sup>39</sup> et glacies liquefiat? Unde in Canticis: *Anima mea, inquit sponsa, liquefacta est ut dilectus locutus est*<sup>40</sup>.

Quicumque ergo istos novem ordines, prout diximus, in se repraesentat, et ex ipsis vitam sui corporis, quod constat ex quattuor elementis, ordinate disponit et informat, vere regulus dici potest, de quo dicitur: *Erat quidam regulus*.

6 - Sequitur: *cuius filius infirmabatur Capharnaum*. Filius reguli est anima cuiuslibet fidelis Iesu Christi, quae, dum in ordine supradicto vivit, incolumis existit. Sed, cum in Capharnaum moratur, ad mortem infirmatur. “Capharnaum interpretatur ager pinguedinis, vel villa consolationis”<sup>41</sup>. In his quattuor verbis, scilicet agro, pinguedine, villa et consolatione, quadruplex hominum status designatur, scilicet clericorum, religiosorum, pauperum et divitum. Clerici in agro Ecclesiae de Christi patrimonio superbunt. Religiosi in quiete et otio, quasi pomum pingue, verme concupiscentiae corrumpuntur. Saeculares pauperes quasi in villa laborant, et de sua paupertate dolent. Divites in consolatione gaudent divitiarum, et ideo Domini obliviscuntur. Omnes isti infirmantur in Capharnaum.

<sup>29</sup> Prov 7,10-12 (Vg. add).

<sup>30</sup> Cf. Iac 3,6,5

<sup>31</sup> Ps 71,2

<sup>32</sup> 1Cor 11,31 (Vg. mut).

<sup>33</sup> Hebr 10,31

<sup>34</sup> P. LOMB., *Sent. II*, Dist. 29,5, PL 192, 720; Ad Claras Aquas, I, p.495.

<sup>35</sup> Ez 10,7

<sup>36</sup> Gal 3,27 (Vg. *Quicumque enim in Christo...*).

<sup>37</sup> GREG., *In Ev. hom. 34,10*, PL 76,1252.

<sup>38</sup> Cf. Iude 1,14-15

<sup>39</sup> Lc 12,49 (Vg. ... *ut accendatur?*)

<sup>40</sup> Cant 5,6 (Vg. ... *ut locutus est*).

<sup>41</sup> HIER., *De nom. hebr.*, PL 23,888.

Istis quattuor concordant quattuor abominationes, quas Dominus ostendit Ezechieli, in quo habes concordantium, ubi dicit Dominus: *Fili hominis, leva oculos tuos. Et levavi oculos meos ad viam aquilonis, et ecce ab aquilone portae altaris, idolum zeli in ipso introitu, ad provocandum aemulationem. Et dixit ad me: Fili hominis, putasne vides tu quid isti faciunt, abominationes magnas, quas domus Israel facit hic, ut procul recedam a sanctuario meo?*<sup>42</sup> Ecce superbia clericorum. Idolum zeli est clericorum superbia, quae ‘ad aemulationem et zelum, idest indignationem et vindictam, provocat Dominum. Unde in Deuteronomio: *Ipsi me provocaverunt in eo qui non erat Deus etc.*<sup>43</sup> Praelatus Ecclesiae vel minister altaris superbus, quid est nisi idolum zeli in ipso introitu portae altaris? Heu, quantas abominationes isti faciunt in domo Domini!

Unde ipse Dominus de eis, in eodem Propheta, dicit: *Violabunt arcanum meum; et introibunt in illud emissarii, et contaminabunt illud*<sup>44</sup>. ‘Emissarius proprio dicitur equus ad concubitum equarum deputatus’<sup>45</sup>. Emissarii sunt clerci superbi et luxuriosi, qui arcanum Domini, idest corpus Iesu Christi, violant, et quantum in seipsis est conculcant, et sanctam Ecclesiam contaminant. Et ideo subdit Dominus: *Procul recedam a sanctuario meo.* Unde dicitur in primo libro Regum, quod ‘propter peccata sacerdotum Ophni et Phinees, qui dormiebant cum mulieribus, quae observabant ad ostium tabernaculi’<sup>46</sup>, capta fuit arca Domini exercituum, sedentis super cherubim’<sup>47</sup>.

7 - Sequitur de secunda abominatione. *Et adhuc, inquit, conversus videbis abominationes maiores. Et dixit ad me: Fili hominis, fode parietem; et cum perfodissem parietem apparuit ostium unum. Et dixit ad me: Ingredere, et vide abominationes pessimas quas isti faciunt hic. Et ingressus vidi, et ecce omnis similitudo reptilium, et abominatio animalium. Et universa idola domus Israel depicta in circuitu erant in pariete per totum. Et septuaginta viri de senioribus domus Israel, et Iechonias filius Saphan stabat in medio eorum stantium ante picturas. Et unusquisque habebat thuribulum in manu sua, et vapor nebulae de thure consurgebat. Et dixit ad me: Certe vidisti, fili hominis, quae seniores domus Israel faciunt in tenebris, unusquisque in abscondito cubiculi sui; dicunt enim: Non videt Dominus nos, dereliquit Dominus terram*<sup>48</sup>. Ab isto loco: *Fode parietem, usque: depicta erant in pariete per totum, quaere in sermone: Sume tibi aromata et stacten, qui dicitur In capite ieunii*<sup>49</sup>.

Sequitur: *Et septuaginta viri de senioribus* etc. Ibi dicit GLOSSA HIERONYMI: “Orandum nobis est, ne seniores domus Israel faciant in tenebris septenarium numerum, qui sanctus est, [per] septem decades multiplicantes, stent in erroribus suis et adorent picturas idolorum, idest vitiorum suorum, vaporque sacrilegii ascendat resistens Deo”<sup>50</sup>. Nostri temporis religiosi dicuntur septuaginta viri, pro eo quod septiformem gratiam Spiritus Sancti in operum perfectione debent habere. Sed, infatuati, quid faciunt? Stant ante picturas, et in medio eorum Iechonias, “qui, ut ibi dicit INTERLINEARIS, religione amissa, in templo Dei colebat idola”<sup>51</sup>. Picturae in pariete sunt phantasmata superbiae, gulæ et luxuria in mente, vel simulatio hypocrisis in religione, vel amor carnalis parentum, et forte filiorum et filiarum, in religioso. Unde in reptilibus, quae clamant: Vae! vae! filii et nepotuli designantur; in

<sup>42</sup> Ez 8,5,3,6 (Vg. add mut).

<sup>43</sup> Cf. GLO. ORD., Ez 8,3; Deut 32,21.

<sup>44</sup> Ez 7,22

<sup>45</sup> De emissario equo cf. Eccli 33,6 et Ier 5,8. Latine rectius dicitur *admissarius equus*. Cf. VARRO, *De re rustica*, II,7. La trascrizione di Antonio è suggerita da PAPIAS VOCABULISTA, p104b: «*Emissarius equus, qui ad equas mittitur*».

<sup>46</sup> 1Reg 2,22.

<sup>47</sup> Cf. 1Reg 2,22-36; 4,1-11.

<sup>48</sup> Ez 8,6-8-12 (Vg. *perfodissem* et *Iechonias pro fodissem* et *Iezonias*, ut in GLO.).

<sup>49</sup> Nusquam occurrit sermo hic in sancti Antonii sermonibus. Troviamo tra i Sermoni festivi, il titolo *In Capite ieunii*, ma non riscontriamo in nessuna parte il passo citato. Su questo argomento, vedi GUSTAVO CANTINI, *De collationibus in Sermonibus S. Antonii Patavini ad ipso autore signatis*, in «Antonianum», Roma 9 (1934), p. 510. Forse si tratta di un’aggiunta di un copista, al seguito delle due raccolte di Sermoni antoniani.

<sup>50</sup> GLO. ORD., Ez 8,11: Cf. HIER., *Commentariorum in Ezechiem*, PL 25,31: «Orandum nobis est, ne seniores domus Israel faciant in tenebris septenarium numerum, qui sanctus est, [per] septem decades multiplicantes, stent in erroribus suis et adorent picturas idolorum,, vaporque sacrilegii ascendat sive consurgat resiliens Deo».

<sup>51</sup> GLO. INT., ibidem: «*Nominatim quasi princeps sacerdotum designatur, qui religione amissa in templo Dei colebat idola*».

abominatione animalium, immunditia fornicationum; in idolis depictis, parentes et amici. Ecce quales picturas quidam nostri temporis religiosi adorant. Et, quod deterius est, Iechonias, idest abbas vel prior, filius Saphan, “quod interpretatur iudicii”<sup>52</sup>, idest mortis aeternae, qui prohibere debet, in medio eorum stat et easdem picturas adorat.

*Et unusquisque*, inquit, *habebat thuribulum in manu*. Quid est thuribulum in manu, nisi facultas monasterii, quae data fuit intuitu eleemosynae et sacrificii, quae est in potestate praepositi? Sed isti socii Iudei, loculos proditoris habentes, cum thuribulo eleemosynae et thure sacrificii pro defunctis oblati, subfumigant suas picturas, idest bona monasterii, quae sunt pauperum, dant suis parentibus et aliis personis. De quibus non est dicendum per singula. *Certe “audisti”<sup>53</sup> et vidisti, fili hominis, quae seniores, “inveterati dierum malorum”<sup>54</sup>*, faciunt in tenebris, et dicunt: Non videt nos Dominus: quia ipsi sunt in tenebris et non vident, ideo credunt non videri. Ibi dicit GLOSSA HIERONYMI: “Si Dominum praesentem et omnia videntem et iudicantem cogitaremus, aut vix aut numquam peccaremus”<sup>55</sup>.

8 - Sequitur de tertia abominatione. Et dixit Dominus ad me: *Adhuc conversus videbis abominationes. Et introduxit me per ostium portae Domini quod respiciebat ad aquilonem. Et ecce ibi mulieres sedebant plangentes Adonidem*. Et dixit ad me: *Certe vidisti, fili hominis*<sup>56</sup>. Ibi dicit GLOSSA HIERONYMI, ‘quod Hebraei et Syri Adonidem vocant Thammuz, quod interpretatur pulcherimum’<sup>57</sup>. Per Thammuz vel Adonidem intelligitur prosperitas mundi, quae est amica Veneris et luxuria. Mulieres plangentes sunt omnes illi qui de amissa prosperitate dolent. Heu, quanti hodie effeminati de amissa prosperitate et non voluntaria paupertate plangunt, et multoties fidem perdunt! Vere isti a villa dicuntur villani, servi diaboli, non de nobili sanguine Iesu Christi, qui non tantum habita relinquere, sed etiam de amissis et in paupertate praecipit gaudere.

9 - Sequitur de quarta abominatione. *Adhuc conversus videbis abominationes maiores his. Et ecce in ostio templi quasi viginti quinque viri, dorsa habentes contra templum Domini et facies ad orientem, et adorabant ad ortum solis. Et dixit ad me: Certe vidisti, fili hominis*<sup>58</sup>. Dorsum contra templum Domini habere est “Creatorem contemnere”<sup>59</sup>, mortis Iesu Christi oblivisci, vitam aeternam postponere. Faciem ad orientem habere et adorare ad ortum solis, est in claritate dignitatis exultare, gloriam quaerere, et pro ipsa adipiscenda hominem adorare.

Contra quod dicit Mardochaeus, in libro Esther: *Domine, qui cuncta nosti, scis quia non pro superbia et contumelia fecerim hoc, ut non adorarem Aman superbissimum. Libenter enim pro salute Israel etiam vestigia pedum eius deosculari paratus essem; sed timui ne honorem Dei mei transferrem ad hominem, et ne quemquam adorarem, excepto Deo meo*<sup>60</sup>. Quod infelices huius mundi divites non observant. Quibus dicit Dominus in Luca: *Vae vobis divitibus, qui habetis consolationem vestram*<sup>61</sup>. Omnes qui has supradictas abominationes committunt cum filio reguli in Capharnaum infirmitate animae, quae est ad mortem, infirmantur. Insistat ergo regulus precibus, ut eius filius ab infirmitate liberetur et sanitati restituatur. Quod ei ipse praestare dignetur, qui est benedictus in saecula. Amen.

Sequitur: *Hic cum audisset quod Jesus adveniret a Iudea in Galilaeam, abiit ad eum. Et rogabat eum, ut descenderet et sanaret filium eius: incipiebat enim mori*<sup>62</sup>. “Iudea confessio”<sup>63</sup>, “Galilaea rota vel volubilitas”<sup>64</sup> interpretatur. Jesus Christus ergo a Iudea in Galilaeam venit cum de vita aeterna, in qua est confessio angelicae laudis, ad rotam nostrae volubilitatis descendit.

<sup>52</sup> GLO. INT., ibidem: «Saphan, “quod interpretatur iudici et condemnationis”».

<sup>53</sup> GLO. INT., Ez 8,12: «Vides, “vel audisti”».

<sup>54</sup> Cf. Dan 13,52

<sup>55</sup> GLO. ORD., Ez 8,12.

<sup>56</sup> Ez 8,13-15 (Vg. *om mut add*).

<sup>57</sup> Cf. GLO. ORD., Ez 8,14.

<sup>58</sup> Ez 8,15-17 (Vg. *add*).

<sup>59</sup> GLO. INT., Ez 8,16: «Dorsum contra templum, “Contemnentes creatorem”».

<sup>60</sup> Esth 13,12-14 (Vg. *add*).

<sup>61</sup> Lc 6,24 (Vg. ... *quia habetis...*; in GLO. ... *qui habetis...*)

<sup>62</sup> Io 4,47 (Vg. ... *quia Iesus...*).

<sup>63</sup> GLO INT., Mt 4,25

<sup>64</sup> GLO. ORD., Mt 4,24.

10 — Unde super hoc habes concordantiam in Ezechiele, ubi dicitur, quod ille qui sedebat super thronum *dixit ad virum qui induitus erat lineis, et ait: Ingredere in medium rotarum quae sunt subtus cherubim, et imple manum tuam prunis ignis quae sunt inter cherubim, et effunde super civitatem*<sup>65</sup>. ‘In lineis corpus gloriosissimum Iesu Christi designatur’<sup>66</sup>, quod de terra virgine accipiens, ut nuditatem nostram tegeret, se induit. Cui dixit Pater: *Ingredere in medio rotarum*. Rota ab eo puncto quo incipit in eundem revertitur, et ideo significat naturam humanam, cui dictum est: ‘Terra es et in terram ibis’<sup>67</sup>. Ingressus est ergo Dei Filius in medio rotarum, cum a Iudea descendit in Galilaeam, humanam naturam accipiens, ‘in terris visus, cum hominibus conversatus’<sup>68</sup>, ‘et habitu ut homo inventus’<sup>69</sup>. *Quae sunt subtus cherubim*, quia ‘minoratus est paulo minus ab angelis’<sup>70</sup>; et sic implevit manum suam prunis ignis, idest sententiis ignitis, quae sunt inter cherubim, idest duo Testamenta, et effudit super civitatem, idest sanctam Ecclesiam. Vel, prunas ignitas effundit super civitatem, cum sui timoris et amoris carbones, gaudium mundi et carnis desolantes, immittit super animam, ut accensa et illuminata convalescat de infirmitate. Et ideo ad eum regulus, qui scit filium, idest animam suam, infirmari Capharnaum, debet ire cordis contritione et rogare oris confessione, ut sanet filium suum, de quo subditur: *Incipiebat enim mori*. Et attende quam bene dixit: *Incipiebat mori*; in carnis enim pinguedine et mundi consolatione incipit mors animae, et consummatur, numquam consummada, in gehennae perditione.

Sequitur: Dixit ergo ei Jesus: *Nisi signa et prodigia videritis, non creditis*<sup>71</sup>. ‘Prodigia dicta, quod porro dicant, idest futura de longe praedicant’<sup>72</sup>. Simile quid dicit Dominus Ezechieli: *Fili hominis, mitto ego te ad filios Israel, ad gentes apostatrices, quae recesserunt a me. Increduli et subversores sunt tecum, et cum scorpionibus habitas. Nolunt audire te, quia nolunt audire me*<sup>73</sup>.

*Dicit ad eum regulus: Domine, descendere prius quam moriatur filius meus*<sup>74</sup>. Ibi dicit GLOSSA: ‘Quasi aliter non posset salvare, nisi esset praesens. Unde Dominus indicans se non deesse ubi invitatur, solo iussu sanat’<sup>75</sup>.

Unde inquit: *Vade, filius tuus vivit*<sup>76</sup>. Unde in Ezechiele: ‘Cum esses in sanguine tuo dixi tibi: Vive!’<sup>77</sup> ‘Nolo, inquit, mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat’<sup>78</sup>. ‘Numquid voluntatis meae est mors impii? dicit Dominus Deus, et ut non convertatur et vivat? Considerans enim et avertens se ab omnibus iniquitatibus suis, quas operatus est, vita vivet et non morietur’<sup>79</sup>. Et ideo cantatur in introitu hodiernae missae: ‘*Si iniquitates observaveris, Domine, Domine, quis sustinebit? Quia apud te propitiatio est*<sup>80</sup>, Deus Israel’.

11 - Huic primae clausulae concordat prima particula epistolae: *Confortamini in Domino*, ne in infirmitate, quae ex Capharnaou provenit, deficiatis, *et in potentia virtutis eius*, qui dixit: *Vade, filius tuus vivit, induite vos armaturam Dei, ut possitis stare adversus insidias diaboli*<sup>81</sup>. Nota quod, quicumque vult esse miles Dei et eius armaturam indui et fortis stare adversus insidias diaboli, oportet

<sup>65</sup> Ez 10,2 (Vg. *Ingredere in medio...*).

<sup>66</sup> GLO. INT., Ez 9,11: «*Virum qui induitus erat lineis, “Christum, qui est sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech”*».

<sup>67</sup> Cf. Gen 3,19

<sup>68</sup> Cf. Bar 3,38

<sup>69</sup> Phil 2,7

<sup>70</sup> Cf. Ps 8,6

<sup>71</sup> Io 4,48 (Vg. *Dixit ergo Jesus ad eum...*).

<sup>72</sup> ISID., *Etym.* IX,3,3, PL 82,419.

<sup>73</sup> Ez 2,3,6; 3,7

<sup>74</sup> Io 4,49

<sup>75</sup> GLO. ORD., Io 4,49.

<sup>76</sup> Io 4,50 (Vg. *Dicit ei Jesus: Vade...*).

<sup>77</sup> Cf. Ez 16,6

<sup>78</sup> Cf. Ez 33,11

<sup>79</sup> Cf. Ez 18,23,28

<sup>80</sup> Ps 129,3-4

<sup>81</sup> Eph 6,10-11 Vedi Confronto - 26: Antonio - Glossa Interlinearis: “*Eph 6,10-16*”. 21<sup>a</sup> post Pent.

ut habeat equum bonae voluntatis, sellam humilitatis, strepas constantiae<sup>82</sup>, calcaria gemini timoris, frenum temperantiae, ‘clipeum fidei, loricam iustitiae, galeam salutis’<sup>83</sup>, lanceam caritatis. Qui his armis se induerit, infirmitas Capharnaui ipsum non occupabit. Et necessaria sunt, quia *non est nobis collectatio adversus carnem et sanguinem*, “idest vitia carnis et sanguinis tantum”<sup>84</sup>, *sed adversus principes*, “idest daemones, qui principantur aliis”<sup>85</sup>, *et potestates*, “idest eos qui super hos possunt, qui in tenebris peccatorum sunt”<sup>86</sup>, *adversus mundi*, idest mundanorum, *rectores*, idest ad interitum ducentes, *tenebrarum harum*, idest horum tenebrosorum, quos praecipitant in opera tenebrosa, idest abominationes supradictas, quas ponit Ezechiel propheta, *contra spiritualia nequitiae*, idest “spiritus nequam”<sup>87</sup>, *in caelestibus*, “idest pro caelestibus”<sup>88</sup>. Non enim pro parva re, sed pro caelesti hereditate tollenda pugnant”<sup>89</sup>.

Et ideo rogamus te, Domine Iesu Christe, ut ab infirmitate Capharnaum et quadruplici supradicta abominatione nos liberes, quatenus contra insidias diaboli fortiter stare et in caelesti vita tecum mereamur vivere. Te praestante, qui vivis et regnas per aeterna saecula. Amen.

## II - De reguli credulitate

12 - Sequitur secundum. *Credit homo sermoni quem dixit ei Iesus, et ibat*<sup>90</sup>. Ibi dicit GLOSSA: “Ad filium reguli non vadit etiam rogatus, ne divitias honorare videatur. Ad servum centurionis ire promittit qui naturam hominis non despicit. In quo superbiam destruit, quae in hominibus non pensat naturam sed quae extra patent”<sup>91</sup>, vere divitias non honorat. Unde dicit in Ezechiele: *Argentum eorum foris proicetur, et aurum eorum in sterquilinium erit. Argentum eorum et aurum eorum non valebit eos liberare in die furoris Domini*<sup>92</sup>. Istud etiam moraliter potest intelligi, quia ‘argentum eloquentiae et aurum sapientiae’<sup>93</sup> non liberabit Tullium et Aristotelem in die furoris Domini, qui dicit in Iob: *Non parcam ei [et] verbis potentibus et ad deprecandum compositis*<sup>94</sup>. Nota quod, prius dicit *credidit*, et postea *ibat*, quia prius est credere corde, et postea ire opere.

Unde Ezechiel: *Haec erat, inquit, visio discurrens in medio animalium, splendor ignis, et de igne fulgur egrediens. Et animalia ibant et revertabantur in similitudinem fulguris coruscantis*<sup>95</sup>. In splendore ignis fides, quae illuminat, designatur. Unde: *Fides tua te salvum fecit*<sup>96</sup>, hoc est: te illuminavit. ‘Quid, inquit, vis tibi fieri? Rabboni, ut lumen videam’<sup>97</sup>. De hoc igne egreditur fulgur boni operis, et sic animalia, ‘idest sancti, eunt in contemplationem et revertuntur ad actionem, quia ibi diu esse non valent propter aliorum fructificationem; in similitudinem fulguris coruscantis, quia per eos, ad contemplationem ascendentis et bonis operibus insistentes, caeleste lumen aliis aspergitur’<sup>98</sup>. GREGORIUS: “Tunc ad alta caritas mirabiliter surgit, cum ad ima proximorum se misericorditer

<sup>82</sup> *Strepa* est infimae latinitatis vox, pro *stapede* (stapes), italice *staffa*. Cf. DU CANGE, *Glossarim mediae et infimae latinitatis*, in hanc vocem.

<sup>83</sup> Cf. Eph 6,15-17.

<sup>84</sup> GLO. INT., ibidem: «*Vicinum est bellum, non contra homines qui visibles et fragiles, sed contra illa vitia quae sunt ex carne et sanguine*».

<sup>85</sup> GLO. INT., ibidem : Ut supra.

<sup>86</sup> GLO. INT., ibidem: «*Contra eos qui super hos possunt, qui timendi, qui mundanos regunt, et dilectores tenebrarum harum tam malarum, idest quos praecipitant in tenebrosa opera*».

<sup>87</sup> GLO. ORD. et INT., ibidem: Ut supra.

<sup>88</sup> Eph l.c.

<sup>89</sup> GLO. ORD., ibidem.

<sup>90</sup> Io 4,50

<sup>91</sup> GLO. ORD., ibidem. Idem in ANSELMUS LAUDUNENSIS ET SCHOLA GLOSSA ORDINARIA, *Evangelium secundum Ioannem*, PL 114,376.

<sup>92</sup> Ez 7,19 (Vg. *mut*).

<sup>93</sup> Cf. GLO ORD., ibidem: Cf. ANGELOMUS LUXOVENSIS, *Enarrationes in libros Regum*, PL 115,455: «*Argentum namque ad nitorem eloquentiae, aurum et splendorem sapientiae*».

<sup>94</sup> Iob 41,3

<sup>95</sup> Ez 1,13-14

<sup>96</sup> Mc 10,52

<sup>97</sup> Cf. Mc 10,51

<sup>98</sup> Cf. GLO. INT., Ez l.c.: ut supra.

attrahit, et quae benigne descendit ad infima, valenter recurrit ad summa”<sup>99</sup>. *Credit ergo homo et ibat.*

13 - Sequitur: *Iam autem eo descendente, servi occurrerunt ei et nuntiaverunt dicentes, quia filius eius viveret*<sup>100</sup>. Nota ista tria: ipso descendente, servi occurrerunt, filius viveret. Si descendis, occurunt tibi servi, et nuntiatur vita filii. Bonum est ergo descendere. Ubi? et quo? A monte scilicet in convallem; a superbia in humilitatem. ‘In convalle enim Dominus apparuit Abrahae’<sup>101</sup>. *Valles*, inquit, *abundabunt frumento*<sup>102</sup>. *Vide*, inquit Ieremias, *vias tuas in convalle*<sup>103</sup>. *Omnis*, inquit Isaias, *vallis implebitur*<sup>104</sup>. *Erunt*, inquit Ezechiel, *quasi columbae convallium*<sup>105</sup>. Iam ergo eo descendente, servi occurrunt. Servi sunt quinque sensus corporis, qui rationi debent servire. Si descendis, servi tibi occurunt, idest tibi obediunt. Si enim cor est humile, sensus corporis sunt obedientes. Ex humilitate oritur obedientia.

Unde Ezechiel: *De medio eius, ‘idest de medio ignis’*<sup>106</sup>, *quasi species electri*<sup>107</sup>. Ignis est humilitas, quia sicut ignis alta humiliat, dura incinerat, sic humilitas superba inclinat et dura corda ad illud verbum ‘Cinis es et in cinerem reverteris’<sup>108</sup> revocat. O humilitas, si caput divinitatis inclinasti in gremio pauperculae Virginis, quid tam altum quod humiliare non valebis? De hoc igne procedit electrum obedientiae. “Electrum, ut dicit GREGORIUS, ex auro est et argento. Dum autem miscentur, argentum crescit in claritatem, aurum a fulgore suo pallescit”<sup>109</sup>. Argentum sonorum est praelati verbum; aurum est pura conscientia boni subditi, cui dum verbum praelati coniungitur, et per subditi obedientiam verbum clarescit et subditus pallescit per propriae voluntatis mortificationem.

Unde in Psalmo: *Pennae columbae deargentatae, et posteriora dorsi eius in pallore auri*<sup>110a</sup>. Columba est bonus subditus, cuius pennae sunt verba praelati, quae ipsum faciunt volare. Ad verbum enim praelati subditus statim debet corde et corpore quasi columba volare. Et attendant praelati, quia verba eorum debent esse deargentata argento humanitatis Iesu Christi, quod immixtum fuit auro divinitatis<sup>110b</sup>. Unde “in specie electri Christus mediator Dei et hominis signatur. Dum enim humanitas in maiestatis gloriam excrevit, divinitas a proprii fulgoris potentia se humanis oculis temperavit”<sup>111a</sup>. Deargentent ergo verba sua praelati humilitate humanitatis Iesu Christi, ut benigne et affabiliter, provide et misericorditer subditis praecipient<sup>111b</sup>, quia ‘non in spiritu, non in commotione, non in igne Dominus; sed in sibilo aurae tenuis, ibi Dominus’<sup>112</sup>. Et sic posteriora dorsi eius, idest voluntas et affectus subditi, erunt in pallore auri, idest mortificatione et puritate. In posterioribus dorsi solemus onera deferre, onera enim obedientiae debemus deferre in dorso patientiae. *Supra dorsum meum*, inquit Propheta, *fabricaverunt peccatores*<sup>113</sup>. Iniquus praelatus fabricat supra dorsum, idest patientiam, boni subditi. Sed ista fabrica illi in ruinam, isti fiet in gloriam. Dicamus ergo: *Ipsa descendente, servi occurrerunt ei*. Ex humilitate enim cordis procedit electrum, in quo est argentum et

<sup>99</sup> GREG., *Regula pastoralis*.

<sup>100</sup> Io 4,51

<sup>101</sup> Cf. Gen 18,1

<sup>102</sup> Ps 64,14

<sup>103</sup> Ier 2,23

<sup>104</sup> Lc 3,5; Cf. Is 40,4

<sup>105</sup> Ez 7,16 (Vg. *Et erunt in montibus ...*).

<sup>106</sup> Cf. GLO. INT., Ez 1,4: *ut supra*.

<sup>107</sup> Ez l.c.

<sup>108</sup> Cf. Gen 3,19.

<sup>109</sup> GLO. ORD., Ez l.c.

<sup>110a</sup> Ps 67,14.

<sup>110b</sup> Cf. BRUNO ASTENSIS (1047-1123), *Sententiae*, PL 165,1013 : « Sic Redemptor noster electrum fuit, ex auro divinitatis; et argento humaniatis coniunctus ; scilicet ex duabus naturis, divina et humana, in unam personam ».

<sup>111a</sup> GLO. ORD., Ez l.c.

<sup>111b</sup> GREGORIUS I, *Homiliae in Ezechielem*, PL 76,965: «De eadem quippe sancta Ecclesia scriptum est:”Pennae columbae deargentatae, et posteriora dorsi eius in specie auri” (Ps LXVII,14). Quae enim hic spiritu mansuetudinis impleta quasi columba pennas deargentatas habet, in posteriora dorsi eius speciem auri continet, quia hic praedicatorum sermonis luce induit; in posteriori autem saeculo fulgorem in se claritatis ostendit».

<sup>112</sup> Cf. 3Reg 19,11-12.

<sup>113</sup> Ps 128,3

aurum. In argento sonoritas confessionis, in auro munditia corporis sensuum designatur. Ecce quanta bona proveniunt ex descensu humilitatis.

14 - Tunc enim vita filii annuntiatur. *Nuntiaverunt*, inquit, *ei, dicentes, quod filius eius viveret*. “Vita dicta, propter vigorem, vel quod vim teneat”<sup>114</sup>. ‘Vita corporis anima, vita animae Deus’<sup>115</sup>, qui vigorem et vim, idest posse et nosse, dat animae, ut vivat, et utinam apponamus nos velle. Dicitur in NATURALIBUS SOLINI, quod in Indiae partibus sunt quidam populi qui “nulla esca indigent, sed tantum vivunt odore pomorum silvestrium, longiusque pergentes eadem poma in praesidio deferunt, ut eorum olfactu alantur. Quod si tetrorem vel foetidum spiritum forte traxerint examinari eos certum est”<sup>116</sup>.

Odor pomorum, vita animae. Poma sunt Incarnatio et Passio Iesu Christi, de quibus sponsa in Canticis: *Poma*, inquit, *nova et vetera servavi tibi*<sup>117</sup>. Poma nova, ex Virgine nativitas, Filii Dei paupertas, novae stellae missio, miraculorum operatio. Poma vetera fuerunt sputa, alapae, fel et acetum, clavi et lancea, quae nos antiqua vetustate spoliaverunt, *quia vetus homo noster*, ut dicit Apostolus, *simul crucifixus est*<sup>118</sup> cum eo. Qui ergo vult vivere, odore istorum pomorum vivat, et in suae peregrinationis exilio, ne in via deficiat, ista poma secum deferat, ut eorum olfactu alatur.

Unde in Threnis: *Spiritus*, inquit, *oris nostri, christus dominus, captus est in peccatis nostris, cui diximus: In umbra tua vivemus in gentibus*<sup>119</sup>. Propheta dicit in Psalmo: *Os meum aperui et attraxi spiritum*<sup>120</sup>. Cum aperis os in confessione et tui accusatione, attrahis spiritum Iesu Christi, qui est vita animae, in gratiae perceptionem. Cave ergo tibi, ne spiritum mundi tetterimum, ne spiritum Capharnaum foetidum attrahas, quia statim non tantum infirmitatem, sed etiam mortem incurres. “Capharnaum interpretatur ager pinguedinis”<sup>121</sup>. Pinguedo solet esse causa vel mater corruptionis, corruptio foetoris, foetor mortis. Aperi ergo os tuum et attrahe spiritum Iesu Christi, qui captus est, ligatus et crucifixus propter peccata nostra. Sub cuius arboris, idest crucis, umbra, de qua in Canticis: *Sub arbore malo suscitavi te*<sup>122</sup>; et: *Sub umbra illius quem desideravi sedi*<sup>123</sup>, debes requiescere ab aestu vitiorum, fallendo sub arbore solem mundanae prosperitatis. Et sic in gentibus, idest inter gentes, idest tentationes carnis et diaboli vives, odore Incarnationis et Passionis ipsius refectus.

15 - Sequitur: *Interrogabat ergo horam ab eis, in qua melius habuerit. Et dixerunt ei: Quia heri hora septima reliquit eum febris*<sup>124</sup>. Ibi dicit GLOSSA: “Non diffidit de misericordia Domini; desiderat vero, ut virtus divina servorum confessione plurimis innotescat”<sup>125</sup>. *Hora*, inquiunt, *septima* etc., “in figura Sancti Spiritus septiformis, in quo omnis salus”<sup>126</sup>.

“Febris a fervore est dicta”<sup>127</sup>, et ‘significat carnis luxuriam’<sup>128</sup>, cuius calore cor concutitur et caro corrumpitur. Unde dicitur in libro Iudith, quod cum ipsa intrasset ante faciem Holofernis, *statim est captus in oculis suis; et cor eius concussum est, erat enim ardens in concupiscentia eius*<sup>129</sup>. Primo oculis capitur. Et ideo orabat Propheta: *Averte oculos meos* etc.<sup>130</sup> Et in Canticis: *Averte oculos tuos, quia ipsi avolare me fecerunt*<sup>131</sup>. Dicitur in Genesi: *Iniecit domina sua oculos suos in Ioseph*<sup>132</sup>.

<sup>114</sup> ISID., *Etym.* XI,1,3, PL 82,397.

<sup>115</sup> GREG., *Homiliarium in Ez.* Hom. 5,9, PL 76,990.

<sup>116</sup> SOLINUS, *Polyhist.* 65.

<sup>117</sup> Cant 7,13 (Vg. add.).

<sup>118</sup> Rom 6,6

<sup>119</sup> Lam 4,20

<sup>120</sup> Ps 118,131

<sup>121</sup> HIER., *De nom. hebr.*, PL 23,888.

<sup>122</sup> Cant 8,5

<sup>123</sup> Cant 2,3 (Vg. ... *quem desideraveram...*).

<sup>124</sup> Io 4,52

<sup>125</sup> GLO. INT., ibidem: *ut supra*.

<sup>126</sup> GLO. INT., ibidem: *ut supra*.

<sup>127</sup> ISID., *Etym.* IV,6,2, PL 82,185.

<sup>128</sup> Cf. AMBR., *Expositio in Lucam*, IV,63, PL 15,1715.

<sup>129</sup> Iudt 10,17; 12,16 (Vg. *mut om.*)

<sup>130</sup> Ps 118,37

<sup>131</sup> Cant 6,4 (Vg. *om mut.*)

<sup>132</sup> Gen 39,7.

‘Prima iacula luxuria, oculi’<sup>133</sup>. Secundo cor concutitur et sic febre luxuria inflammatur. Sed ne in consensu mentis vel operis moriatur, *hora septima*, ‘idest septiformi Sancti Spiritus gratia’<sup>134</sup>, illuminatur. Et tunc debet credere *ipse et domus eius tota*<sup>135</sup>, idest cum corpore simul et anima, quia Iesus Christus est Dei Filius, qui animam a tam infelici febre et corpus a tam miserabili pollutione luxuria liberare est dignatus.

16 - Unde huic secundae clausulae concordat secunda particula epistolae: *State succincti lumbos vestros in veritate*<sup>136</sup>. “Lumbi a libidine sunt dicti”<sup>137</sup>. “Libido dicta, quod libeat”<sup>138</sup>. Ecce maledicta febris, quae regnat in lumbis, et ideo dicit Apostolus: *State succincti lumbos vestros in veritate, et induite loriam iustitiae*<sup>139</sup>. “Unicuique secundum ius suum faciendo, ut iustitia quasi lorica sitis protecti, ne pateat locus hosti”<sup>140</sup>. *Et calceati pedes in praeparatione evangelii pacis*<sup>141</sup>, “ne tangat terram qui praedicat”<sup>142</sup>, idest, ne amore terrenorum praedicet. *In omnibus sumentes scutum fidei*<sup>143</sup>: “fides est scutum sub quo tuta est iustitia”<sup>144</sup>; *in quo possitis omnia tela nequissimi*, “idest omnes insultus diaboli”<sup>145</sup>, *igneum*, “idest quae de vitio in vitium incidunt”<sup>146</sup>, *extinguere; et galeam salutis assumite*<sup>147</sup>. “Galea est salus aeterna, cuius memoria mentem obvolvit, ne deficiat”<sup>148</sup>, *et gladium*, “ad feriendum hostem”<sup>149</sup>, *spiritus*, “idest quem dat Spiritus Sanctus”<sup>150</sup>, *quod est verbum*, idest evangelium, *Dei*<sup>151</sup>. Quicumque in his sex, quasi in sex horis, se exercuerit et praeparaverit, a septiformi gratia, quasi in septima hora, a febre luxuria liberabitur.

Eia ergo, fratres carissimi, rogemus Dominum Iesum Christum, ut a monte superbiae descendere nos faciat, febrem luxuria in nobis extinguat, qua succincti lumbos ad sanitatem redire et ad aeternam vitam valeamus pervenire. Ipso praestante, qui est benedictus, laudabilis et gloriosus per aeterna saecula. Dicat omnis anima a febre liberata: Amen. Alleluia.

Confronto - 26: **Antonio - Glossa Interlinearis:** “Eph 6,10-16”. 21<sup>a</sup> post Pent.

Glossa Interlinearis	Antonio, Eph 6, 10-16: II, 365,25 - 372,9.
Confortamini in Domino, et in potentia virtutis eius, induite vos armaturam Dei, ut possitis stare adversus insidias diaboli (Eph 6,10-11).	Confortamini in Domino, et in potentia virtutis eius, induite vos armaturam Dei, ut possitis stare adversus insidias diaboli (Eph 6,10-11).

<sup>133</sup> Cf. ISID., *Synonymorum* II,16, PL 83,849: «Oculi quique prima tela libidinis».

<sup>134</sup> Cf. GLO. INT., Io 4,52

<sup>135</sup> Io 4,53

<sup>136</sup> Eph 6,14 (Vg. *State ergo...*).

<sup>137</sup> ISID., *Etym.* XI,1,98, PL 82,409.

<sup>138</sup> ISID., *Diff.* I,331, PL 83,44.

<sup>139</sup> Eph l.c. (Vg. *add mut.*).

<sup>140</sup> GLO. INT., ibidem: AUG., «Iustitia, cuique ius faciendo sit lorica, ne pateat locus hosti».

<sup>141</sup> Eph 6,15.

<sup>142</sup> GLO. INT., ibidem: P. LOMB., *Collectanea in epistolis Pauli* 2, PL 192,220: «Calceamenta haec virtutum debent habere praedicatores, ne ille qui praedicat pede mentis terram tangat, idest pro terrenis faciat».

<sup>143</sup> Eph 6,16

<sup>144</sup> GLO. ORD., ibidem: Cf. .

<sup>145</sup> GLO. INT., ibidem: P. LOMB., *Collectanea in epistolas Pauli* 2, PL 192,221: «Fides scutum est, sub qua vel quo iustitia, quae interiora transfigi non sinit, tuta est, sicut sub munimine omnium virtutum quod protenditur ante omnia arma, quod prius impugnat diabolus». Omnes astutias.

<sup>146</sup> GLO. INT., ibidem: «Qui de vitio in vitium incidunt».

<sup>147</sup> Eph 6,16-17

<sup>148</sup> GLO. ORD., Eph 6,17. Galea, “Spe aeternae salutis gaudentes”.

<sup>149</sup> GLO. INT., ibidem: «Gladium, “Ad feriendum hostem”»

<sup>150</sup> GLO. INT., ibidem: «Spiritus, “idest quem dat spiritus sanctus”».

<sup>151</sup> Eph l.c.

<p>Quia non est nobis collectatio adversus carnem et sanguinem,      «Vicinum est bellum, non contra homines qui visibles et fragiles, sed contra illa <i>vitia</i> quae sunt <i>ex carne et sanguine</i>»,</p>	<p>Quia non est nobis collectatio adversus carnem et sanguinem,      “idest <i>vitia carnis et sanguinis</i> tantum”,</p>
<p>sed adversus principes,      “idest daemones, qui principantur aliis”,      et potestates,      «Contra eos qui super hos possunt, qui timendi,</p>	<p>sed adversus principes,      “idest daemones, qui principantur aliis”,      et potestates,      “idest eos qui super hos possunt, qui in tenebris peccatorum sunt”,</p>
<p>adversus mundi,      qui <i>mundanos</i> regunt      rectores,      idest ad interitum ducentes,      tenebrarum harum,      et dilectores <i>tenebrarum harum</i> tam malarum, idest <i>quos praecipitant in tenebrosa opera</i>».</p>	<p>adversus mundi,      idest <i>mundanorum</i>,      rectores,      idest ad interitum ducentes,      tenebrarum harum,      idest <i>horum tenebrosorum, quos praecipitant in opera tenebrosa</i>,</p>
<p><i>contra spiritualia nequitiae</i>,      idest “<i>spiritus nequam</i>”,      in <i>caelestibus</i>,      “idest pro <i>caelestibus</i>.</p>	<p><i>contra spiritualia nequitiae</i>,      idest “<i>spiritus nequam</i>”,      in <i>caelestibus</i>,      “idest pro <i>caelestibus</i>.</p>
<p>State succincti lumbos vestros in veritate, et induite loricam iustitiae (Eph 6,16-17).      AUG., «<i>Iustitia, cuique ius faciendo sit lorica, ne pateat locus hosti</i>».</p>	<p>State succincti lumbos vestros in veritate, et induite loricam iustitiae (Eph 6,16-17).      “<i>Unicuique secundum ius suum faciendo, ut iustitia quasi lorica sitis protecti, ne pateat locus hosti</i>”.</p>
<p>Et calceati pedes in praeparatione evangelii pacis,      «Calceamenta haec virtutum debent habere praedicatores, ne ille qui <i>praedicat</i> pede mentis <i>terram tangat</i>, idest <i>pro terrenis faciat</i>»</p>	<p>Et calceati pedes in praeparatione evangelii pacis,      “ne tangat terram qui <i>praedicat</i>”, idest, ne <i>amore terrenorum</i> <i>praedicet</i>.</p>
<p>In omnibus sumentes scutum fidei:      «<i>Fides scutum est, sub qua vel quo iustitia, quae interiora transfigi non sinit, tutu est, sicut sub munimine omnium virtutum quod pretenditur ante omnia arma, quod prius impugnat diabolus</i>». Omnes astutias.</p>	<p>In omnibus sumentes scutum fidei:      “<i>fides est scutum sub quo tutu est iustitia</i>”;</p>
<p>in quo possitis omnia tela nequissimi,      ignea,      «<i>Qui de vitio in vitium incendunt</i>», <i>extinguere</i>;</p>	<p>in quo possitis omnia tela nequissimi,      “idest omnes insultus diaboli”,      ignea,      “idest quae de <i>vitio in vitium incendunt</i>”, <i>extinguere</i>;</p>
<p>et galeam salutis assumite (Eph 6,17).      “<i>Spe aeternae salutis gaudentes</i>”.</p>	<p>et galeam salutis assumite (Eph 6,17).      “<i>Galea est salus aeterna, cuius memoria mentem obvolvit, ne deficiat</i>”,</p>
<p>et gladium,      “<i>Ad feriendum hostem</i>”</p>	<p>et gladium,      “<i>ad feriendum hostem</i>”,</p>
<p>spiritus,      “<i>quem dat spiritus sanctus</i>”.</p>	<p>spiritus,      “idest <i>quem dat Spiritus Sanctus</i>”,</p>

quod est verbum,  
*id est evangelium, Dei.*

quod est verbum,  
*id est evangelium, Dei.*

In questa parafrasi della lotta contro nemici spirituali, con le armi spirituali, del commento della Glossa, Antonio conserva gli elementi essenziali della scelta che il cristiano ha fatto della vita nuova in Cristo (Eph 4,17-24); ne sottolinea la forte valenza e impegna il lettore a collaborare con l'azione dello Spirito.

Ci sono i nemici interni, vizi e abitudini, e, più potente, lo spirito del mondo che fa lotta a Dio, le opere nascoste che non amano la luce e gli spiriti sovrumani.

Le armi sono: la giustizia che respinge le radici del male; i piedi che annunciano un amore più forte di quello terreno;; la fede, una fortezza contro il disprezzo, gli insulti e gli errori; il casco che protegge l'intelligenza; la forza dello Spirito Santo e la parola, incarnazione del Verbo di Dio, luce e vita (cf. Gv 1,1-4), che illumina e trasforma.